

Gorgonis bellum administraret, quam Aegida græci appellarūt. Itaq; facto eo quod supra declarauimus, Iupiter Tytanis superans regnum est adeptus, & reliqua ossa ægos caprina pelle contexta anima donauit, & stellis figuratam memoriæ commendauit, & postea quibus ipse uicerat tectus, Mineruæ concessit. Euenetus ait Aegam quandam fuisse Panos uxorem, eam compressam à Ioue peperisse, quem uiri sui Panos diceret filium. Itaq; puerū Aegyptana, Iouem uero Aegiochum dictum: qui, quod eum diligebat plurimum, inter astra capræ figura memoriæ causa collocauit.

Ophiuchus.



Ophiuchus qui apud nostros scriptores Anguitenés dictus est, supra Scorpionem constitutus, tenens manibus anguē, mediū corpus eius implicantern. Hunc complures Carnubutam dixerūt nomine, Getarum regem, qui fuit in Mysia regione, fuisse, qui eodem tempore regno est potitus, quo primum semina frugum mortalibus tradita esse existimantur. Ceres enim cum sua beneficia largiretur hominibus Triptoleum, cuius ipsa fuerat nutrix in curru draconum collocatum: qui primus hominum una rota dicitur usus, ne cursu moraretur, iussit omnium nationum agros circueuntem semina partiri, quo facilius ipsi posteriq; eorum à sero uictu segregarentur, qui cum peruenisset ad eum, quem supradiximus Getarum regem, ab eo primum hospitaliter acceptus, deinde non ut beneficiis aduena & innocens, sed ut crudelissimus hostis in sidiis captus, aliorum dum paratus est producere, suam pene perdidit uitam. Carnabutæ enim iussu cum draco unus eorū esset interfectus, ne cum Triptolemus sensisset insidias sibi parari, currus præsidium sibi constituere speraret, Ceres uenisse, & erepto adolescenti currum, dracone altero subiecto reddidisse, regem autē procepto maleficio pœna nō mediocri affecisse narratur: Hegesianax dicit, Ceterem memoriæ hominum causa, ita Carnubutam syderibus figurasse, manibus tenentem, ut interficere draconem existimetur, qui ita uixerat acerbe, ut iocundissimam sibi conscisceret mortem. Alii autem Herculē esse demonstrāt in Lydia apud flumen Sagarim, anguem interficientem, qui & homines complures interficiebat & ripam frugibus orbabat. Pro quo facto à regina Omphale quæ ibi regnabat, multis ornatū muneribus Argos remisit. Ab Ioue uero propter fortitudinem inter sydera collocatum. Nonnulli etiam Triopam Theffalorum regem dixerunt esse, qui cum suum domiciliū tegere conaretur, Ceteris ab antiquis collocatum, diruit templum. Pro quo facto à Cerere fame obiecta, nunquam postea frugibus ullis saturari potuisse existimatur, Nouissime prope ad terminū uitæ, dracone obiecto mala plurima perpeffus, aliquādo mortem adeptus, in astra Ceteris uoluntate, est constitutus. Itaq; adhuc uidetur eum draco circumplexus æterna mentem afficere pœna. Polizeius autem Rhodius hunc Phorbanta nomine demonstrat, qui Rhodiis auxilio maximo fuisse demonstratur. Nam cum eorum insulam serpentium multitudine occupatam, ciues Ophiusam appellassent, & in ea multitudine ferarum, draco fuisset ingenti magnitudine qui plurimos eorū interfecisset, & patria deniq; deserta carere coëgisset: dicitur Phorbas Triope filius ex Thyocla Myrmydonis filia natus eò tempestate delatus, omnes feras & eū draconē interfecisse, qui cum maxime Apollini dilectus esset, locatus in cœlo interficiens draconem, laudis & memoriæ causa uidetur. Itaq; Rhodii quotienscunq; à littore longius prodeunt classes, prius sacrificant Phorbantis aduentui, ut illis talis euentus inopinatæ uirtutis accidat ciuibus, qualis inscium Phorbanta futuræ laudis ad sydera gloriæ pertulit casus. Complures etiam astrologi hūc Aesculapium finxerunt, quem Iupiter Apollinis causa inter astra collocauit. Aesculapius enim cum esset inter homines & tantum medicina cæteris præstaret, ut non satis ei uideretur hominum dolores leuare, nisi etiam mortuos reuocaret ad uitam, nouissime fertur Hippolytum qui iniquitate nouerçæ & inscitia parētis erat interfectus sanasse, ita Eratosthenes dicit. Nonnulli Glaucum Minoos filium, eius opera reuixisse dixerunt, pro quo, ut peccato, Iouem domū eius fulmine incendisse. Ipsum uero propter artificium & Apol-

miscilla

& Apol-